

DE  
NIMIO  
**IN LINGVIS STUDIO**  
**SVPERIORVM INDVLTV**  
PRAESIDE  
VIRO PLVRIMVM REVERENDO  
**M. SCIPIONE CAROLO IOHANNE CASPARO**  
**Rumpff**  
S. S. THEOLOGIAE BACCALAVREO  
PVBLICE DISSERET  
LIPSIAE IDIB. IVLII cl. I<sup>o</sup> XVI.  
RESPONDENS AVCTOR  
**IOHANNES ANDREAS FABRICIVS**  
DODENDORF. MAGDEBURG.  
PHILOS. ET THEOL. STVD.

---

LIPSIAE  
TYPIS CHRISTOPH. FRIDERIC. RUMPFF.


Coll. diss. A  
99, 51



a. XCIX. 51.

VIRO  
PLVRIMVM REVERENDO ATQVE DOCTISSIMO  
DOMINO  
GEORGIO ANDREAE  
FABRICIO  
PASTORI APVD DODENDORFFIENSES  
VIGILANTISSIMO MERITISSIMO  
FAMILIAE FABRICIANAE MAGDEBVRGIACAE  
SENIORI  
PATRI SVO  
AD SEROS CINERES VENERANDO  
DISSERTATIONEM HANC  
IN PVBLICAM GRATI ANIMI TESSERAM  
CVM VOTO  
GRATIAE SPIRITVS SANCTI ADSISTENTIS  
SANITATIS INOFFENSÆ  
ET VITÆ PERENNANTIS  
OFFERRE VOLVIT  
FILIUS IPSI OBEDIENTISSIMVS  
IOHANNES ANDREAS FABRICIVS





## Q. D. B. V.

### SUMMA CONTENTORUM.



Rooemium. §. I. Datur nimium in linguis studium. §. II. Ori-  
tur ex malitiosa intentione vel falsa persuasione. §. III. Qui  
de lingua primaeva litem mouent incurvant nimium in linguis  
studium. §. IV. Item qui vniuersalem linguam excoxitare  
volunt. §. V. Nec non qui confusionem linguarum circa  
turrem Babelis quaerunt & linguarum numerum determinant  
certum. §. VI. Qui de praestantia vnius linguae p[ro] altera  
digladiantur nimio linguarum studio peccant. §. VII. Lin-  
guam inutilis non est addiscenda. §. VIII. In linguarum  
plurium cognitione non est ponenda tota eruditio. §. IX. Qui de litterarum inuentori-  
bus se torquent nimio laborant studio. §. X. Male cultura vernaculae aliarum linguarum  
culturae apud nostros postponitur. §. XI. Male vernacula in formam artis redigitur.  
§. XII. Male in orthographia contra usum litem mouerunt Zesi[us]. §. XIII. Nimio  
linguarum studio inducti radices linguae germanicae ex aliis linguis vel ex vocibus incon-  
gruis cruunt iidem. §. XIV. Falso quidam voces latinas in lingua nostra occurrentes  
non posse ficti credunt. §. XV. In versionibus omnia ad verbum exprimere est nimii in  
linguis studii. §. XVI. Male voces ciuitati nostrae donatas exulare iubemus. §. XVII.  
Ridendi sunt qui voces gallicas & aliarum linguarum immiscent absque necessitate ger-  
manicae. §. XVIII. Voces nouas facere aut inusitate componere est vitium. §. XIX.  
Rhythmorum usus non est imperfectio lingue germanicae. §. XX. Nimio studio voces  
rebus conformare est ridiculum. §. XXI. Nimius hodie est latinae linguae usus apud ger-  
manos. §. XXII. Latinae non latine debent conscribi grammaticae. §. XXIII. Cumula-  
tae in grammaticis regulae sunt effectus nimii in linguis studii. §. XXIV. Nimium in  
addiscenda latina lingua tempus consumitur. §. XXV. Non tamen etiam in uno auctore  
solum os latinum. §. XXVI. Orthographiae nimia scrupulositas improbanda.  
§. XXVII.

A 2

§. XXVII. Criticorum nimius est in corrigendis lbris pruritus. §. XXVIII. Nimium studium primam de pronunciatione graeca sparsit item. §. XXIX. Cumulatio formationum & regularum est reiicienda. §. XXX. De verbis in ꝑtaliisque anomalis. §. XXXI. Accentuum studium nimio ex linguarum studio defenditur. §. XXXI. Non in lectione vnius auctoris subsistendum. §. XXXII. Regularum cumulatio in Hebraea vi- tium est lingua. §. XXXIII. Radicum extractione non est oneranda iuuentus. §. XXXIV. Radices saepius non ita secure ex lingua Arabica peruntur & obsolaetae male finguntur. §. XXXV. Non in omnibus scripturae locis Allegoriae aut extremae emphases sunt quae- rendae. §. XXXVI. De dampnis ex nimio in linguis studio profluentibus.

## PROOEMIVM.

**S**TUDIUM linguarum valde iucundum, immo necessarium esse, nemo, nisi qui solo a brutis differt sermone, negabit. Recludit id sapientiae thesauros & instrumenta praebet ad exhauriendos eruditio- nis fontes, barbariemque supprimendam. Vbi sermone opus, opus autem est in societate hominum vbi- cumque, ibi stu- dium hocce exigitur, & sui neglectum notabili sane errantium ignominia vindicat. Nemo in exterorum etiam scriptis latenter veritatem eruere, & in usum suum conferre potest, nisi linguarum cognitione munitus. Qui linguas callet, ex ipsis fontibus sacrarum litterarum, quae salutem suam concer- nunt, haurire potest, quae alii ex riuulis: At dulcissim ex ipso fonte bibuntur aquae. Totus orbis, non litteratus modo, sed & commercio litterati fruens, huic sententiae subscripsit iam diu. Superuacaneum ergo est in laudibus linguarum haerere, quibus prodignitate praedicandis alii clarissimi Viri suam nauarunt operam.

Iustum autem licet sit linguarum pretium, & necessaria earundem cul- tura, accidit tamen illis, quod plurimis, rebus utilissimis etiam, alias solet accidere, vt vel peruerse tractentur p̄erumque, vel si maximo in eas homines feruntur impetu, fines decentes negligantur, nimioque hoc in seruo- re magis noceant, quam prospiciant. Quomodo peruerse linguis opera tribuatur, nostrum non est in praesenti determinare, cum & nimis longum foret haec pro eius gruitate exp̄lare, & a viis eruditione claris huic nego- tio

tio aptioribus satis superque sit demonstratum. Quis nescit quid praestitum  
sit a Morhoffio in Polyhistore passim, a Tanaquil Fabro in Methode pour  
commencer les humanites Grecques & latines, a Becchero in didactica noua,  
a Tschirnhausio in Medicina mentis, a Woverio in polymathia, ab Hermanno  
v. d. Hardt in operibus Philologicis passim, & ab aliis, quos haec non ca-  
peret pagina.

Constituimus ergo in praesenti de posteriori circa linguarum studium fa-  
miliari vitio, quaedam breviter differere, in conspectum eruditorum  
prodituri, quos spero, fore, ut si qua in re a recto aberrauerim, modeste in id  
me reducant. Patria specimen aliquod studiorum per triennium in acade-  
miis continuatorum efflagitabat, & religioni fuit iustae eius postulationi  
aliquid denegare. Nemo interim a me opus quoddam politum omnique  
tituta excipiendum exspectet, sed leue qualemque ingenii vis permisit,  
viris doctrina & iudicio satis abunde suffultis vberius indagandum & nitidius  
reddendum. Interim Deum T. O. M. supplices veneramur, ut hos etiam co-  
natus sua adiunctio iuuet, quo in sui nominis gloriam & proximi utilitatem  
vergant.

### S. I.

**E**xperientia vbiue dudum & satis clare docuit, non iniuria germanos  
dicere: Man kann auch des Guten zu viel thun. Omnium enim  
rerum, quarum usus maxime alias est utilis, fieri potest nimius, & noxius  
est. Medicamentorum usus vires conseruat, vitam producit, immodicus vero  
eorumdem gluto, & perdit sumptus & destruit corporis naturalem constitutio-  
nem. Abstractis in eruditione carere non possumus, quae quidem si nimis  
abstracta & abstrusa fiunt quam par erat, nugae Latinis, germanis Grillen, ad-  
pellantur, ut plura raceam. Finem enim omnes sibi certum & determina-  
tum habent, alias essent vanae: qui autem hunc finem transgreditur nimio  
laborat studio. Linguae eum in finem sunt addiscendae ut commode in  
societate vivamus, & per eas ad cognitionem scientiarum utilium  
veniamus. Qui ergo in eas maius studium & vberius temporis spati-  
um confert, quam ad obtinendum hunc finem erat necessarium & aptum, ni-  
mio agitatur fetuore. At omne nimium vertitur in vitium, & hoc nimium in  
linguis studium vitiis notam non effugiet. Non enim haerendum in consi-  
deratione

deratione instrumentorum, sed applicanda sunt ad rerum solidam cognitionem. Non in contemplandis vehiculis, ad propositum eruditionis scopum perueniemus, sed sumtis & in usum accommodatis. Perpetuus putaminis admirator & scrupulosus spectator numquam dulcedinem nuclei degustabit, sed carpturus nucleus constringet putamen. Sic qui linguis immoritur & immoratur & verba formulasque perpetuo crepat, numquam ad cognitionem veram, rerum & scientiarum deueniet. Quomodo autem id fiat & quibus in rebus finis, quem sibi linguarum doctrina praefixum habet, possit transcendit, ex sequentibus liquido constabit.

## §. II.

Obseruamus enim, ut proprius ad rem accedamus, incidere in nimium linguarum studium, omnes eos, qui vanum vel noxiū vel quaestuosum sibi praefixum habent scopum in addiscendis linguis, (quo coguntur fere, ut fines decentes transcurrant,) vel, licet etiam rectos fines in oculis habeant, falsa tamen persuasione adducti, extra oleas vagantur. Cum enim linguae sint vehicula scientiarum & media ad socialitatem hominum commoda, quisque videt, eas sibi addiscendas esse, quas studiorum aut vitae generi, quod sibi elegit, necessarias & aptas esse certo sciat. Transiliunt itaque hunc scopum aliquique sibi fingunt, qui,vana ducti ambitione & honoris incensi aucupio, eum in finem linguis operam dant, vt in numerum virorum eruditione clarorum aliquando locum obtineant, sed sumum quaerentes, sumum accipiunt. Non enim qui multas calluere linguas, sed qui non adeo multas at recte dicere, & in usum rectum contulere, eruditorum in numerum & qui bonum publicum proferunt, referas. Aliis autem, immo sibi ipsis noxiō fine linguarum quaerunt notitiam, qui studio nouitatis adducti in eam irruentes, sibi persuadent, se optima quaeque & inauditas curiositates ex illis haerire posse, quibus antiquam doctrinam euertere possint: Itaque quam facilissime nubem pro Iunone, falsum pro vero avide arripiunt, venditant, sibi aliisque imponunt. Quaecluoso qui adeant linguas animo, non adeo multi sunt, experientia enim satis docuit, quantopere spes illorum illos sefellerit, & si essent linguae diuinarum aucupia, sententiam ex Cellatio in orat. XIII. audiant: Nobilia sunt cuncta litterarum studia quam vt lucri soribus aut quaestui

exer-

exercendo inseruant, & digni opificio illiberali sunt, qui id tantum animo, intendunt, quod infra illius nobilitatem est & ex sordida quaere copiosius, captari potest. Longe autem plures deprehendet sedulus harum rerum scrutator, qui licet rectum & laudatum habeant in hoc studiorum genere finem, curva tamen via ad eum tendunt. Cum enim recta via sit & breuissima: Ea vel sola vel praecipue sectari & addiscere, quae prima sunt & dignissima: Quid hi agant qui indistincte omnia secum rapere, & memoriae in primis curant clarum erit. Egregie de his Dorpius differit: Apes non, ex omni flore mel illud suum conficiunt, neque quemlibet item humorem, exsugunt. Primum delectum habent florum: Deinde ex nobilissimis purissimum liquorem extrahunt. Et nos an sine vlo discrimine in quae fortuito, inciderimus, ea in nostrorum testas ingeniorum instillabimus seu futilia sint, ac nugacia seu fructuosa?

### §. III.

Si ergo enumerandi sint, quinam nimium in linguis studium incurruunt, eos primum nomino, qui de lingua primaeva lites inter Criticos acerrimas in hunc usque diem agitarunt. Quidam S. S. peculiarem quamdam auctoritatem adserre gestiunt, si Hebraeam in antiquitatis solium collocare, & regiam omnium linguarum salutare incipiunt, v. g. Hieronymus cum tota antiquitate, Buxtorffius, Bochartus, Heideggerus, Wagenseilius, &c. Alii contra illam throno deiicere, & Graecam in illius locum surrogare laborant, vt Ericus Prof. Patauii in principio Philologico. Sunt qui Chinensium linguam matrem omnium appellare suadent, ut Jo. Webbe in peculiari tractatu anglico &c. Qui Belgicam, vt Becanus in originibus Antwerpianis &c. Qui Suedieam, vt Stiernhelmius ( $\alpha$ ) &c. Qui Celticam vt Salmasius, Boxhornius, Cluverius, aliique. Qui denique dum latinam ridiculis argumentationibus primaevam venditant, lepida sua orbi eruditio monstrant capita, vt Hugo, ( $\beta$ ) Besnierius ( $\gamma$ ) &c. hoc autem ipso & sua, & ceterorum de lingua primaeva disceptantium argumenta, risui exponunt. Pugnanc enim inter se possilibus, prout quisque ingenio valet, nec ullum aut demonstrationis simile, aut quod magis probabile esset reliquis, proferre argumentum queant. Observamus in omnibus linguis, eas spatio discendorum annorum

smi-

mirum in modum mutari, ut sibi inuicem barbari videantur, qui easdem pro vernacula olim habuerunt & adhuc habent. Quomodo ergo hi primae-  
vam per tot millenaria omni mutatione expositam determinate audent. Sinon  
plane periit, incognita tamen est primaeva, & si denique exp'oraretur, du-  
biu[m] tamen, an adeo vtilis labor, indagationi eius adhibitus, futurus, dum  
exiguus valde inde aut nullus, ceteris paribus, in societatem hominum re-  
dundaturns esset usus.

(α) Vid. Morhoffius in tractatu de lingua & Poesi Germanorum.

(β) In originibus Italiæ & Romæ.

(γ) In tractatu gallico,

#### §. IV.

Maius autem omnino communi hominum vitae accederet commodum, si  
una & vniuersalis posset obtinere lingua. Et iam dudum viri ingenio pariter  
& iudicio clari possibilitatem eius crediderunt, vt Beccmannus, &c. Alii  
in characteribus excogitandis huic linguae vniuersali inservientibus, & viam  
ad eam inueniendam se exercuere, vt Athanasius Kircherus in arte polygra-  
phica, I. A. Comenius in via lucis, Georg. Dahlgarnius in arte signorum, I. I.  
Beccerus in charactere pro notitia linguarum vniuersali, Ioh. Wilkius in pe-  
culiari tractatu anglice edito, Petrus Borellus in tractatu de lingua vniuersali  
&c. At non negandum est peculiari directione divinae MAIESTATIS di-  
uersas ab initio obtinuisse linguas. Sapientiae summi creatoris placuit, laudes  
suas diuersis linguis & dialectis cani. Quod ipsum quidem in miraculo lingua-  
rum Apostolis infusione, die Pentecostes facta, videre est. Difficilis de-  
nique applicatio linguae vniuersalis, irritum reddit hominum circa illam con-  
tum, qui uno ore omnes loqui optant. Hinc Morhoffius (δ) Sane, in  
„quit, qui linguam vniuersalem moliuntur, in vanum omnes videntur labora-  
re: Nam lingua ab uno homine conficta, ut speciosa & in rationibus phi-  
losophicis fundata, nullum habet usum nisi impetrari consensus possit, immo  
& in characteribus excogitandis nemo hactenus ita felix fuit, ut ab aliis suos re-  
ceptos viderit. Quae cum ita sint, merito vniuersum vniuersalis linguae  
studium nimio linguarum studio adnumeramus, & cum eo reiicimus.

(δ) In Polyhistore Tom. I. Lib. III. Cap. II.

#### §. V.

### §. V.

Mirum in modum sollicitudo de diuisione linguarum curiosos inficit. Philologos. Confusi quidam circa Babelis turrim peculiarem γλωττοσυγχυσιν quaerunt, innisi verbis: Gen. XI. 1. Habebat autem omnis terra labium unum & verba eadem, eodemque Cap. v. 7. Itaque credunt notabilem illam factam fuisse linguarum confusionem, ac si genti huic in aedificatione turris occupata una fuisset eaque primaeva lingua: Deum autem singulis familiis proprium & ab aliis distinctum idioma inspirasse. Hinc quidam tot linguas ibi esse ortas, quot familiae a Mose numerantur, scilicet LXX. Alii vero secundum numerum LXXII. Interpretum LXXII. Alius LXXV. Alius CXX. &c. Ast si Philologi illustris in Academia Julia H.v d. Hardi vestigia sequamur, נָשׁ in plurimis locis scripturae v. g. Zeph. III. v.9. Proverb. XII. 19. Ps. CXXX. 4. sententiam & orationem indicat, non idioma; & etiam נְבָנָה eundem subit significatum, ubique in sacris ferme litteris. Cui tamen rei iam non inhaeremus. Hoc tantum dicimus, nimiam huic rei impendere curam eos, qui numerum determinate ex hac confusione audent, argumentis non sat sufficientibus instructi, ut aegre se contra absurditatis maculam tueri queant. Certum enim numerum linguarum constituere impossibile est ( $\zeta$ ) & de diuisione ac confusione earumdem cogitare & se torquere inutile. Tot enim gentes una cum lingua perierte, tot gentes vernacula innumeris dialectis distinguere, tot denique incognitae nos latent & orientur aliae, ut aequo sit difficile & absurdum linguarum determinare numerum ac librorum ab ortu mundi scriptorum & adhuc scribendorum confieere Catalogum infallibilem.

(ε) In Ephemerid. Phil. Discursu III.

(ζ) Cellarius in diss. de fatis latinae linguae.

### §. VI.

Frequentissima denique est, de praestantia vnius linguae prae altera, pugna. Gallus Germanicam omnesque alias suae vernaculae postponit. Germanus Gallicam, Italus ceteras &c. vili pendet, cum sua vernacula comparatas. Sed omnes errant, habet sua elogia Germanorum, habet Gallorum, habet Italorum, habent omnes linguae & singulae, nulla alteri praeferrenda. Non vitio verti potest linguae Hebraeae parvus radicum numerus, seu

B

quod

quod vna vox quatuor aut plura rerum significata sustineat. Cui notum est orientales pro calore climatis, celerimam animam pronunciationem, sciet quoque eos gestu & actione manuum loquitos esse, & cuique vocabulo pro conditione rei distinctionem a reliquis significationibus gelu addidisse, ut auditori valde familiare fuerit, ex gestu rerum vocis sensum cognoscere, quod lectori ex contextu. Nec laudem inde praecellens sola sibi arrogare potest graeca, ex artium inventionibus defundam. Inuentio enim scientiarum non ad linguas pertinet, & si pertinet, omnis gens suis inuentis vernaculam suam ornare, & prerogativam alteri dubiam reddere valeret. Dura pronunciatione nulla est vernaculae nostrae imperfectio, nec esse potest, sicut Italicae non est molis verborum sonus. Taceo ceteras. Sapiens in omnibus linguis, mirabilem deprehendet concennum dissonum, omnibus suas laudes, nec ulli praecellens altera laudem concedendam esse, crebet. Omnes enim apiae, ut iis Dei cantentur laudes; salos aeterna annuncietur, & hominum societas confirmetur. Laborant igitur suarum vernacularium nimii amatores praeiudicio quodam, quoniam nisi quod domi nascitur, veneratione dignum esse sibi persident, & ambitione non parua, qua dum sua laudent, se ipsos extollere satagunt.

### §. VII.

Quia linguam vernaculam, Latinam, Graecam, Hebraeam & ceteras ad conuersationem & commercia cum suis & finitimis instituenda, addidicit, sat, in quocumque sit viage generis constitutus in linguarum studio se fecisse eredat. Quid ergo cum Samaritana, Persica, Coptica, Punica, Turcica, Celtica aliisque huius farinae sit instituendum, quisque cognoscet. Pentateuchum equidem samaritana lingua conscriptum habemus, at adeo corruptum & saepissime sacris nostris Hebraicis fontibus contradicentem, ut dum obseruant viri eruditii. Immo nuper prodit auctor anonymus qui rationibus sane non contemnendis Rabbinicam, Syriacam & Arabicam inutilibus hisce quas nominauit linguis adnumerat. (n) Rabbinicam equidem omnicaret eusu non ego dixerim, at eam tempes laboremque ei impensum non rependere, & plus nocere quam proficere, est quod firmissime mihi persuasi. Quantum enim iuuat scire ritus & antiquitates Iudeorum & sententias

tentias Rabbinorum, quas & sine Rabbinorum scriptis hodie perspicere nobis integrum est, tantum nocet memoriam, vana scientia, fabularum, commentorum, eiusque generis cimeliis, onerare & loco rerum utilium referire. De Syria auctor ille anonymous inquit: Ich kan keinen Syrisch vorpredigen, ich kan auch mit keinem die Sprache reden, ich habe auch keine andere Bücher, woraus ich was lernen könnte, nur das Testament allein soll mich dazu bringen, welches man wegen der Vbersetzung rühmet. Allein was fehlet dann der Griechischen Sprach? Steht doch darinn alles vortrefflich schön und deutlich ausgedruckt, was hab ich nöthig von der Quell zum Bach zu gehen? Findet sich ja etwa einmahl in der Syrischen Vbersetzung eine schöne Redens-Art, die eine Sache wohl ausdrücket, so kan ich solche doch vor keinem Grund-Text ausgeben, und in andern Sprachen ebenfalls den Grund-Text mit schönen Worten ausz drucken suchen. Es dienet ja zur Verachtung und Verkleinerung des Grund-Texts, wenn man in dem Syrischen etwas bessers als im Griechischen finden will. De arabica autem inquit: Man lernet diese Sprache um eilicher Wörter willen, deren Bedeutung, Natur vnd Eigenschafft man gleichwohl nicht verstehen kan ohne eine hinlängliche Erkäntniss der Sprache. Wenn aber nun einer das gelernet, macht eine gantze Auslegung vber so etliche Wörter vnd will dadurch einem biblischen Spruch ein Licht anzünden: Frage ich einem solchen, ob er darauff schämen könne, dass deme also sey, was er daher macht, so wird er die Achseln zucken, und dadurch bekennen es seyen alle seine Sachen lauter Muthmassungen &c. Die orientalischen Sprachen sind heut zu Tage viel unterschieden, von ihrer ersten Arth, da sie auffgekommen, wann sie ja alle von der Hebraeischen solten hergenommen seyn, dass dahero einer, der darinn grosse Geheimniß zur Erleichtitung der Hebraeischen suchen will, gleich ist einem, der in die Lüfft streicht. Quae ad hanc de qua diximus Arabicam, Persicam, Punicam, Copticam, &c. speclare videntur vno Polyhistoris illius Helmstadiensis celeberrimi, Contingii, iudicio comprehendimus, Hie enim, Non adeo magni, inquit: (§) Orientales libri aestimari merentur, qui scilicet quidquid boni habent a „ graecis hausere & magnam quoque partem merae grecorum translationes „ sunt: Quae vero propria Arabum, longe infra Graecam eruditonem sub „ sident,

„sident. Persicum vero Copticum vel Aethiopicum quid aptum sapientiae,  
„ne ex fama quidem accepimus, quod non licet longe plenius ex editis alio-  
rum scriptis addiscere. Itaque in quem usum linguae addiscantur, si libris  
scientiarum doctoribus mutis, salva eruditionis salute carere possimus  
nescio.

(7) In der Kunst bald leicht und recht gelehrt zu werden Frankfurt 1712.

(8) In Epistola de Bibliotheca Augusta.

### §. VIII.

Habent equidem, quos nimium in lir guis studium vexat, quod obiciant,  
in linguarum nempe plurium cognitione eruditionem esse ponendam:  
At cum eruditio consistat in cognitione rerum, ad felicitatem sui ipsius  
spectantium, & dijudicatione earumdem; Clarum est linguas tantum instru-  
mentorum & vehicularum nomine venire. Et si in cognitione linguarum  
multarum, omnis sita esset eruditio, sane antiquos Graecos Romanosque  
omnis eruditionis gloria cœpuisse, statuendum erit, quos tamen pro artium  
& scientia um parentes, principesque, vendiamus. Illis enim miraculi  
instar fuit, homo duarum linguarum (1) peritus. Anacharsis matre vslis  
graeca, patre scytha, amborum parentum linguas imbiberas, & nomen in-  
de quasi prodigiosum reportauit, διγλωττος. Hi autem Romani CCCCCX  
ferme annis strenui factis, & clari multarum scientiarum cultura existere,  
non nisi vernaculam callentes, (2) & Ennius, quo magistro graecis litteris  
operam nauare cooperunt, ita se possidere corda gloriabatur, quia Graeca,  
Latina, & Osca, lingua loqui illi erat integrum. Quid de Indorum  
regnis, & Rege illorum, quo non sapientiorem vidit mundus, qui tan-  
tam rerum naturalium & aliarum maxime utilium scientiam hauserat ut etiam  
in sacris litteris inde encomia meruerit, licet destitutus multiplici linguarum  
cognitione. Quorum denique memoriae, Polyglotria in historicorum  
monumentis, locum dare iussit, pauci admodum sunt, sicut iis comparen-  
tur, qui non tam multas, sed paucas recte & bene applicatas tenuere.

Licet

Licet non negemus pro hodierno serum i statu etiam non inutile esse laborem,  
corum, quibus multas nosse linguas placet.

(i) Galenus II. de differentiis pulsuum.

(z) Suetonius de illustribus grammaticis.

### §. VIII.

A linguis ad linguarum notas, litteras, procedere non nefas esto.  
Quamquam omnia hic dubia & confusa adeo offendamus, ut merito deter-  
reamur aliquid ex his delibare. Quantas enim quaeſo ineptias agunt, qui  
vel Adamum, vel Sethum, vel Henochum, vel nescio quem, carum in-  
uentorem faciunt, quam ingeniosis ludunt fictionibus. Alii dum nem-  
inem interris inveniant, cui sub specie veritatis inuentarum litterarum gloriam  
tribuant, in caelum ascendunt, & in stellis efformatas litteras, quaerunt.  
(λ) Plane nihil certi de his habemus, & si quid haberemus, memoriam  
salem re patui momenti & nullius usui oneraremus. Cum ergo hac notitia  
salua optimarum litterarum constitutione carere possimus, merito hanc  
de litterarum inuentoribus aegritudinem, cum nimio in linguis studio,  
sepelimus.

(λ) Ut Gaffarellus in curiositat. inauditis.

### §. X.

Postquam in genere, de nimio in linguis studio, quaedam differuimus,  
nunc in specie pauca subiungere, de linguis apud nos cardinalibus, placet.  
Primas ducat vernacula. De Romanis notauit Valerius Maximus, (μ) eas  
ob amorem vernaculae Graecis numquam nisi Latine resp. nsa dedisse, &  
eos coēgisse per interpretes loqui coram senatu. Ciues nostri plane aliter  
se gerunt, plurimi qui tamen alias summo ardore addiscunt linguas, ver-  
nacula vix loqui possunt, cum tamen qui ealleat vernaculam, filo quasi in-  
structus Ariadneo per grammaticales aliarum linguarum labyrinthos possit  
progredi, longe felicius. Passim de hoc Germanorum yitio conquesti sunt  
viti, quibus Philologia vera curae cordique fuit. Morhoffius (ν) Dolens,,  
B 3 dum

„dum adeo segniter linguam vernaculam a germanis tractari. H. v. d.  
„Hardt (ξ) Vernaculam omnes eruditae gentes excoluere, cuius usus in  
„omni coetu, per omnia officiorum ac negotiorum genera. Soli Germa-  
„ni suorum honorum pertaesi, germanum os, ut possunt, fugiunt. Quan-  
„tum ex familia discimus, credimus sufficere. Aliae gentes suas linguas,  
„& cum linguis suae gentis splendorem colunt, & extollunt, soli sere Ger-  
„mani suae gentis cultum vel nesciant vel negligant? Nimis pauca in iu-  
„nientute discuntur & scribuntur vernaculae, cuius in primis usus per cunctem  
„vitam maximus. Alibi: (ο) Latine omnes artes traduntur in scholis &  
„Cathedris, vocibus plerumque non latinis, sed profecto admodum bar-  
„baris, obscuris, incompositis, saepe ambiguis, tantum non ineptis, ut  
„discentes non artes discant, sed barbaros & immorigeros artis terminos.  
„Quidni artes tradantur, doceantur, illustrentur, explicentur, inculcentur,  
„nostra aequa dialecto culta, aut excolenda, pro cuiusvis regionis ore ac  
„alieno barbaro rostro? Sed quomodo, inquiet quispiam neglectus hisce  
ad nimium linguarum refertur studium? Perpendat ille, ciues nostros ple-  
rumque ex cultura peregrinarum linguarum nimia, negligere vernaculam,  
statim in scholis hic neglectus inde oritur, quia latinam puer discit, antequam  
vernacula sciatur loqui, ut plura taceam.

(μ) Libr. II. Cap. II.

(ν) In Polyhistore Tom. I. Lib. IIII. Cap. IIII.

(ξ) In liminis in Philol. & Exeg Lucei praeformatione.

(ο) In Limine in Phil. & Ex. L. p. 17.

## §. XI.

Quos supra adduximus, Philologi, & alii non tam de nudis vocibus ger-  
manorum memoriae mandandis, quam de reali vernaculae nostrae ne-  
glectu querelas mouerunt. Quis enim, quantas inter Germaniae litteratos  
seditiones & bella excitarint Zesianorum cohortes & frugiferae societates au-  
diuit umquam? Ille stupendum in hoc philologico studio excessum, de-  
prehendet. Licet enim, hi viri in omnibus suis conatibus cultum & nitorem  
linguae patriae suscitare pro scopo habuerint, inani tamen & futili solertia in-

na-

nugas incidebant difficiles, omnia subtilitate religiosa examinare & omnem  
usum reiicere audebant. Cum satius egissent, si modum in re adhibentes,  
quae, virum secundum persuasionem ipsorum, utrum ex usu qui tunc tem-  
poris obtinebat, scriberentur parum aut nihil referebat, non curassent:  
Libris vero, vernacula nostra erudite scriptis, & traditis quibuscumque  
optimis exoticorum scriptoribus, patriam ornassent. Sed vano & coeco amo-  
ris erga patriam linguam oestro, in tricas grammaticales ferebantur, hisque  
vernaculam ornare satagebant. Ideoque eam in formam artis redigebant,  
Grammaticas conscribebant, cum faciliori negotio viuis exemplis libris con-  
signatis, purum & nitidum Germaniae os reddere potuissent. Si enim aliis  
gentibus non Germanis, scribere voluissent Grammaticas, linguis aliis  
gentibus vernacula, ut eas conscriberent, erat necesse. Vnusquisque deni-  
que vernaculam suam, non ex Grammatica addiscet, sed usu, ne autem vi-  
tiose aut impure interdum loquatur, non opus est regulis, sed exemplis &  
libris, in quibus tamquam in speculo vicia sui sermonis cognoscet & emen-  
dabit. Nam ex auctorum exemplis & loquutionibus regulae sunt desumptae  
& desumenda. Taceo hac ratione simul ad sapientiam iucundam & facilem  
viam potuisse sterni.

### §. XII.

Nec hoc adeo esset improbandum quod Grammaticarum scriptione cancellis  
includere patriam ausi fuerint, nisi inumerabiles, in his labyrinthis, nouos  
labyrinthos atque gyros exstruxissent, contra quos, nisi usus in republica eru-  
dita praevaluerisset, eosque etiam iis iniisis exterminasset, magis hortidam  
haberemus, quam uerquam fuit, vernaculam. Orthographiam illorum innuo.  
Bene est & egregium scriptoris ornamentum sine vitiis orthographicis ali-  
quid litteris mandare, sed in illo haerere ridiculum & absurdum, immo  
noxiū esse nemo negabit. Grata enim est, inquit Vossius de arte gram-  
matica, ubique veritas sed propterea in minus necessariis ea omnibus con-  
stare non debet fortassis maiorum & meliorum studiorum damno. Qui enim  
in verborum positione & litterarum scriptione scrupulosus esse vult artifex,  
meditationes reales & viliores ut vel amittat vel perdat est facile. Nimio  
ergo laborarunt linguae in orthographia studio, qui rixati sunt num scriben-  
dum schaft anschafft, Deutsch an Teutsch, Kempfen an Kämpfen,  
Wit-

Würdikeit an Würdigkeit, bret-er an bret-ter, Kwellen an Quellen, Schänd-er an Schän-der, Wirt an Wirth, Dapfer an Tapfer, Genoss-schaft an Genossenschaft, Zukker an Zucker, Herzzen an Hertzen aut Herzen, Föbus an Phoebus, Amt an Ambt, Wunderbahr an Wunderbar, mihr an mir, Karolus an Carolus, &c. quorum infinitus adhuc superest numerus, natuscam tamen & haec pauca mouere poterunt lectori, ut reliqua nescire malit. Priora enim usui contraria introducere conabantur, nescientes linguam nostram ex usu potissimum esse, secus ac alias linguis iudicandam.

### §. XIII.

Nimia denique eos etiam in deriuando infecerat sollicitudo, qua non modo vocem ab alia originem traxisse adfirmabant, quae nullum cum illa commercium habere poterat, sed etiam ex aliis linguis radices vernaculae corradebant. Quod quidem cum aliis aliarum linguarum Criticis illis, vitium est commune, sic v. g. deducunt Cöthen ex כהָר Wein ex latino vinum, vel Hebraeorum יְהֹוָה vel Graecorum ὥντος, Ziffer ex Hebraeo כְפַרָה vel ex זְבָר, Chut a כְחֵר, Ambt ex אַמְבָּת, Pachten a פַתְח offenbahrena פָאָר &c. Einen Buchstaben deriuarunt ex Stab und Buche quasi esset; ein Stab von einer Buchen oder Buchbaum-Holz, Ungeziffer ex ohne Ziffer, Ambt ex Ambacht &c. Hae quae ex aliis linguis deduxerunt voces, linguarum arguunt harmoniam, & vocum similitudines non deriuandi ius constituunt,

### §. XIII.

Inflexione nominum, præcipue propriorum latinorum, etiam tenebras induxere, dum disceptarunt an scribendum das Leben Pauli, an, das Leben Paulus, aus dem Hause Caroli, an Carolus. Quasi Germanici cives unum ex Latio irreptantem, nec flectere valerent nec ei imperare digni essent. Sed ex nimio ergalinguam patriam amore crediderunt, auctoritati ipsius a'quid detrahi, si quid ex Latii constructione in ea audiretur. Cum tamen in his linguis obtineat, vt substantiuum cum substantiuo rei diuersae Genitiuo casu iungatur. Et vox ex latina lingua germanica inserta non transubstantiationem subire potest & deuenire Germanica, ideoque terminacione immobiliter gaudere cum Germani innata sua nomina flectere soleant,

### §. XV.

### §. XV.

Quamvis magis incundum sit, effata auctorum in linguis illis vernacula legere, quae in aliam transposita, si non omnem, aliquem tamen legerem perdunt, versiones interim adornare utilissimum est & aequissimum. Non modo, ut hi apud nos, quibus linguas aliorum nosse non est integrum, legere & intelligere exterorum scripta possint, sed ut Patriae satisfaciamus, & toga Germanica induitos audtores ei donemus. At quantos, quaeſo, hic occurrere vident errores linguarum periti! Adplicari ad plures linguas posse, quae celeberrimus Auctor der lustigen und ernsthafften Monaths-Gespräche ( $\pi$ ) de versionibus Gallicorum scriptorum habet, nemo dubitat. Inquit enim: der gemeine Fehler dererienigen ist, die vnter vns Teutschen aus dem Franzöſischen etwas in vnsere Sprache überzezen, das sie des Franzöſischen entweder nicht recht mächtig und kundig sind, oder aus Nachlässigkeit ihre Vbersezungen ohne gebührenden Fleiß vnd nur oben hin anstellen. Addendum autem multos dum versiones parare student, neglecto genio utriusque linguae, omnia ad verba rigore sane ridiculo exprimere, omnem mouere lapidem, abortus ergo & monstra progignunt versionum in quibus solum verba auctoris germanice reddiderunt, & vix quidem, lectori autem componenda, ineffabili cum taedio, reliquerunt. Quin & alios reprehendere audent, qui rationem habentes geniorum linguae, non ad verbum omnia scrupulose reddiderunt. Hinc dum versione sua obscurum magis faciunt auctorem, diuersas linguae nostrae dialectos procreant, Franzöſisch Teutsch, Hebraeisch Teutsch, Englisch Teutsch, &c. Atque ita quid in his quoque nimium in linguis studium possit palam est.

( $\pi$ ) Im Januario 1688, pag. 68

### § XVI.

Nimium porro in linguis studium vexat eos qui omnes voces peregrina origine & formatione, vsu tamen iure ciuitatis in nostra vernacula gaudentes, exsulare iubent. Saepius enim, quae paucis dicimus, vocibus vni peregrinis, longo verborum syrmate vt circum scribamus aut noua singamus necesse est, si nostro idiomate exprimenda veniunt. Inde fit vt obscura

C

ad-

adpareant, quae retentis peregrinis primo intuitu clara se nobis sistunt. Praecipue in terminis technicis; Quis enim intelligeret si cum Zesianis diceremus: Wortdode, Witdode, Wortiodschafft, Sprachlicher, Nenn-Wort, NennEndung, GeschlechtWort, Mūelstrich, Vnterwurff, Vberwurff, Tageleuchter, Prunktuch pro: Philologus, Philosophus, Philosophie, Criticus, Nomen, Nominatiuus, Articulus, Comma, Subiectum, obiectum, Fenster, Teppich, &c.

### §. XVII.

Vt ergo illos, qui nihil nisi quod in Germania natum, ferendum esse, falso sibi persuadent, merito ridemus, ita nec hos maxime laudandos esse existimo, qui pertaesit suorum ciuum, extraneos inducere sibi gloriae, ducunt. Credunt equidem paupertati linguae Germanicae esse succurrendum, at nimio & frustraneo studio id suscipiunt, non enim tam egena est vernacula nostra, vt verbis peregrinis eam ornare opus sit. Quod iuorunt, qui eam recte callent. Quin potius efficitur, vt sermo Germanorum ceu pallium mendici variis pannulis versicolos adpareat, & inde exteris ceu inculuis suboleat. Perstringunt hoc institutum quae per iocum dixit Weisius in nothwendigen Gedancken pag 307. Hier bin ich arrivirt ein Mann de bon Courage Bericht zu nehmen ein von dieses Orts Passage, da man parlirt von Fried, der Waffen ihr Estat muss bleiben par ma foy, weil Teutschland Leute hat.

### §. XVIII.

EIAM nimio studio paupertati oris Germanici succurrere se existimant, qui barbararum & minus visitatarum vocum excitatione, aut combinatione, gloriam aucupari satagunt. e. g. Kunßschicklich schöner, die bittel Hochfürstlich angesehen soyn wollende Welt, ich erdrache mich, ich erbaßiliske mich, Himmelsfüßerquickend, Goldbesetzt, Angstbesetzt, blau-gestirnt, Goldbeflammt, &c. In quibus conficiendis Poëte quidam, admodum peculiarem sibi semper arrogare auctoritatem sunt ausi. Quanto

ma-

magis autem p' accent, loquutiones elegantes & purae, tanro magis dispi-  
cent adfectatae hae verborum elegantiae, rei veritati repugnantes, sibique  
ipsis contradicentes. Referri hic etiam poterunt quae supra de translatiis  
terminis technicis §. XVI. monuimus.

### §. XVIII.

Pari passu cum prioribus ambulare videntur qui in carminibus conficien-  
dis, nimis arcta, vt ita dicam, conscientia operantur, dum vel plane  
rhythmos respuunt, & imperfectionis inde vernaculae nostrae arguunt ma-  
culam; vel nimis religiosi rhythmorum similitudinem exigunt. Ambo in  
extrema sibi contraria currunt. Prioris Germanorum carmina vetustissima  
rhythmica fuisse, fortasse neglexerunt, & Poësin nostram in his singulari  
genio aestimandam esse. Verum est, Graecis aequa ac laetissima nullam esse  
rhythmorum curam, vt pote qui poetæ mentem ligant, vt non possit,  
quamvis dictionem assumere, sed ad rhythmum eam accommodare cogatur  
inde que meditationes saepissime perdat egregias aut omittat. Ut autem ne-  
mo hactenus improbavit, tam strictam Latinorum & Graecorum scansionem,  
nec vitio iis verti potest, ita Germani nullam censuram inde incurrent, si  
rhythmis ab his poësin suam distinguent seque Hebraeis aliisque conformant.  
Si enim rhythmus ex Poësi Germanorum aufertur, etiam primaria perit  
elegantia, cum tamen & prodesse velint & delectare poëtæ.  
Rhythmos autem ex auditu & pronunciatione iudicare non ex litterarum po-  
sitione, usus recte suadet, cum vt aures demulceat solum rhythmus ad-  
hibetur.

### §. XX.

Loquuntur natura rerum, quam egregie auditum adficiat, sciunt illi,  
qui Virgilii Ouidii aliorumque poemata in deliciis habent & oratorum per-  
fustrarunt monumenta. Quisquis dum versum audit: Quadrupedante pe-  
dum sonitu quatit vngula campum, equum se currentem credit cernere.  
At etiam in hoc nimium posse obseruari studium, Zesianorum effigere Car-

mina. Exempli loco sit, vbi Germanorum lingua ipsa suas laudes cantans introducitur; (g) Es stimmet mit mir ein die Stimme, so wir hören, das prasselnde Geschlürff fliesst aus den Erdenröhren, vnd lispet durch den Kiess; der Klatsch vnd platscher Thon, spricht sonder Fleiss vnd Kunst fast allen Sprachen Hohn. Das sum vnd brum Gesäus das Schnarren Murren Marren kan anderer Zungen Kräfft in schroffen Sand verscharrn. Es rollt mein Donner-Wort, es rült, brült, braust, zerplättet, das durch die Lufft vnd Glufft die Bein und Stein erschüttert &c. Cumalatae ibi præter necessitatem consonantes, offendicula aurium absonta gignunt, & coacervatae fictæ & compactæ voces, rem magis monstruosam & absurdam, quam decoram & venustam pingunt.

(g) Harßdötterus in Specim. I. Phil. Germ. p. 301.

## §. XXI.

Ad linguam Latinam erit nunc accedendum, quæ tantopere inualuit, ut qui non sciat & perspectam habeat totam, nec eruditus habeatur. Secus ac supra §. VIII. monulmus. Ita autem omnium animos, conatus, labores, aetatem, sibi attraxit & vindicauit, vt non iniuria dicta sint quæ Philologus ille saepius citatus<sup>(σ)</sup> conquestus est; In foro germanico Ius peregrinum! Ius latinum! omne eruditorum os non nisi Latium simular. Peregrini, ne hac oris larva omnes superbiunt. Nostrum os rotundum, torqueatur ubique ad peregrini genii arbitrium, librorum & Bibliothecarum siluae & veragines peregrina monstrant spolia. Omnes scholae minimae, maximae, omnia musea, omnes cathedrae, omnes eruditæ, lites & pugnae, omnia docta vulnera ad Latii voluptatem, modulos, lusus, insidias, quin & fraudes. Haec germaniae gloria alienis superbire praesidiis non vti suis. Sed cum mutare id, in quo omnes & singuli consiprant quasi, non possimus, feramus necesse est, ita tamen, vt in gratiam Latinæ, vernaculam non vili habeamus, aut negligamus & ei postponamus.

(σ) H. v. d. Hardt in Limine in Phil. & Exeges. Lucem p. 16.

## §. XXII.

### §. XXII.

Nimio olim in hac lingua versati fuerunt studio, qui Germanis Latine conscripserunt Grammaticas, ex quibus Latina possit hauri lingua. Eum quidem in finem, ut simul, dum discerent regulas Latinas, linguae sibi adquirerent notitiam. Sed obscurum per aequae obscurum tyronibus precipabant, & ignotum per aequae ignotum explicare laborabant. Tempus ergo nimium eorum in lingua hac laborem viris altioris indaginis detexit. Ideoque hodie aut numquam, aut raro manibus teruntur puerorum, tam vasti & obscuri tricarum architecti, cum suppeditatas habeamus clare vernacula nostra loquentes Grammaticas, & viam in Latium luce Germanica nobis cognita monstrantes.

### §. XXIII.

Regularum moles, vera & grauissima puerorum tortura cum Grammaticis etiam maxima ex parte periit Latinis. Quae quidem vel Philosophicae erant, & non pueris, sed adultis quoque nodi Gordii videbantur, vel inutiles superuacaneae, quarum usus & sensus etiam ex vernacula satis superque constare poterat, si debito suisset exculta studio. At cum orbiliones & grauitatis grauissimae seueri magistri, ipsi signari essent maternae linguae, nec, ne linguae (ut credebant) eruditorum detrimentum inferrent adprehendendam suadebant, difficilibus hisce nugis fidei suae creditos detinebant, immo ad memorandum plagis & vibicibus cōcercebant. Quid autem pueris cum definitionibus Grammaticae, syllabae, litterae, syntaxeos &c. Quid cum vastis, obscuris, regulis regularum exceptionibus, ad exceptiones notis & obseruationibus. Certe non promouere studium linguarum haec talia poterant sed remoram ei iniicere. Interim nimium in linguis studium sapiebant.

### §. XXIV.

Ex his quae iam diximus, est inter alia, ut florem adolescentiae, vigorem

memoriae pretiosissimum aetatis nostrae spatium, in addiscenda lingua Romanorum nimio & studio & damno consumamus. Quātos, queso, amplissimos cum studio a iuventute auctores explicando percurrimus, iterumque percurrimus, neglecto stili & sermonis exercitio. Et si stili habet us aliqualis ratio, illa sit imitationibus, in quibus phrasēs auctoris & loquutiones nobiliores consarcinantur, sine respectu ad numerum aut instantem rerum verborumque connexionem. Immo excerpta conscribuntur phraseologica, quorum usus annis puerilibus est exiguus, labore plane impar, ob penuriam penoris huius Philologici, annis autem virilibus nullus. Quis enim tum ad phrasium suarum libellos recurret, aut cui in loquendo elegantiores euoluere dictiones & formulas vacabit. Manu & ore ut exerceantur pueri, necesse est, ut loqui & scribere idem illis sit absque asinorum pontibus. Nec ut in lectione vel in explicatione tam diu haereant, ut memoriter paene recitare auctorem possint requiritur. Videmus linguae Gallicae studiosos uno anno adeo exercitatos euadere, ut ea prompte loqui videantur. Hi certe, non perpetuam multorum auctorum lectione & phrasium excerpendi studio, sed coiuncta, cum continuo loquendi & scribendi exercitio, lectione aliquali auctorum, illum in sermone & scriptione habitum, sibi parauere. Sed est linguae Latinae nimium studium, quod tantum sibi laboris tantum temporis, decem, quindecim, quin immo in pluribus, viginti annorum spatium vindicat, ut iactura eius dum demum sentiatur, quando ad superiores facultates, quarum gratia linguae discuntur, aditus patescit.

## §. XXV.

Quidam optime ergo suis consulere credunt, si unum saltem iis legendum porrigunt auctorem. e. g. Ciceronem. His nihil placet nisi quod Ciceronem sapit. Genius puerorum nolens volens stilum ipsius adfectare minis immo execrationibus cōceretur. Cum & alii puro Latii loquantur ore. Non omnibus denique idem cum Cicerone genius, sicut in Germanica lingua non omnibus Hoffmanniana fluit vena aut Lohensteinii adsurgit spiritus: ita nec Cicero omnium gusto erit accommodatus. Vossius inquit: (τ) In solius

Ci-

Ciceronis verba minime iurandum, vel detorquent enim Ciceronistri sensum, vel tacent quando loquendum est. Incidit in Ciceronem nimio sane quod omnes fatentur studio, Ianus Wilhelmus, qui per breuem etiam vitam totum se dederat illi, ita ut omnes formulas connectendi, elegantiores loquendi memoria teneret & recitare sciret promptissime. At vix annum aetatis ingressus vicesimum septimum, tortum Ciceronis operibus spiritum, efflauit.

(τ) In Libr. de vitiis Latinae linguae.

### §. XXVI.

Nec hi a nimio in linguis studio eximendi erunt, qui orthographiae religiosissimos se praebent obseruatores & aeternam ipsi quasi iurarunt obedientiam. Perpetuo hi orthographiae crepant restauratores, aliosque ut se illis adiungant, adigendos esse iudicant, nec huic viri eruditii nomen competere, qui non scrupulose orthographiae habeat rationem. Cogitent hi effatum Clari Cellatii: (υ) Me ita, inquit, semper gessi, ut nemini, ali,, quid obtrudam, ac ne discipulos quidem adigam ut orthographiam meam,, imitentur : Sed expositiis documentis diuersarum opinionum cuique integrum re inquam ; ut quam velit inscribendo viam ingrediatur. Hortor tantum & idem iudicem admoneo, ut quisque certus sit in sua consuetudine.

(υ) In praefat. ad orthogr.

### §. XXVII.

Mentio tandem effrenati illius generis eruditortum erit facienda, quod imperium suum in omnes auctores lectu dignos exercet crudelissimum, & criticorum stricte sic dictorum nomen peculiari auctoritatis & grauitatis signo vbique monstrat. Quod secundum Maresium (Φ) totum est in apicibus,, syllabarum examinandis vocibusque adpendendis, & in criticis quisquiliis :,, Nec in viiis libri, licet accurata editione, adquiescit sed semper haeret:,, Aliunde etiam nimium est in antiquorum titibus usque ad minutias & extre-,, mam

„tiam anxietatem enucleandis & obseruandis: Quorum pleraque talia  
„sunt, ut ea ignorare, Quintilianus fortasse inter Grammaticorum virtu-  
„tes, habiturus fuerit, & longe maiora ac potiora in libris quaerere, nec  
„circa voces resque minimi ponderis & inutiles consenseret oporteat. Qui-  
libet pro ingenii praepostero ac umine scrutator correxit quae sibi minus apta  
videbantur & magis commoda substituit. Eo ipso autem & alteri occasionem  
corrigendi & alia substituendi praebuit. Quo tandem, ut vel decies castra-  
tus prodierit unus auctor factum est. Non inde sane iniuria D. Irenaeus  
„adiurat librarium, per Dominum nostrum Iesum Christum & gloriosum  
„eius aduentum quo iudicaturus est viuos & mortuos, ut conferat post-  
„quam transcriperit & emendet ad exemplar vnde scriperit. Media inter-  
rim erit ineunda via ut non omne critics studium reiciamus, dum nimium  
saltē notamus criticorum & proutum & studium.

(φ) In Ep. 44, Lib. II.

### §. XXVIII.

Quid in Graecis litteris nūmī effecerit studium nūc exponemus.  
Primum quidem; litem inter eruditos de re clā graecae linguae pronuncia-  
tione sparsit, quae tanto inter illos fuit agitata furore, ut ferme totas  
res publicas in hunc disputationis gyrum traxerit. Sine dubio enim una  
olim in antiquae Graeciae sinu obtinuit, & altera temporibus magis deper-  
ditis & subiectis Romanorum imperio Graecis successit: Quod (χ) Vossius  
obseuat, qui adnotauit, quod in illis marmoribus, quorum inscriptiones  
factae sunt post tempora Traiani & Hadriani, mera diphthongorum con-  
fusio adpareat, cum E pro A, I pro O vel EI passim occurrat, cum tamen  
in vetustioribus lapidibus orthographiae, ratio sibi optime constet. Licet  
autem firmioribus nitatur argumentis illorum sententia, qui Iotacismum  
improbant & integritatem Graeci sermonis restituere, contra delicatas  
Etacismum impugnantium aures adlaborant: Adhuc tamen sub iudice lis  
est nec contentionibus, sed tempore & fato diiudicabitur. Quare & ista  
aliis soluenda linquimus. Hoc saltē addentes: Utileissimum fore si am-  
barum

barum caussarum Patroni aliquando sepositis impedientis quae probatissima  
reperiatur, eligerent sententiam.

(x) In De natura Rythmi p. 16.

### §. XXVIII.

Verum alia hic occurunt notatu digna. Superuacanea formationum neminem verborum & regularum accumulatio, quae ut in aliis reprehenditur, ita nechic inter virtutes boni Philologi ponenda erit, sed ad nimium in Graecis studium, referenda. Oim quidem nudo decem vel vndecim declinationum & tredecim conjugationum numero, perterriti Graecarum litterarum studiosi, pedem retrahebant. Nunc tantis non impedimur dispendiis, sed breuiori via ad cognitionem Graeciae ducimur: Postquam numerus illae declinationum ad ternarium redactus & una constituta fuit coniugandi norma. Credo tamen multa adhuc nimii in Grammaticis Graecis conscribendis studii restare vestigia. Philologus nostrae aetatis eximus H. v. d. Hardt non pauca hac in re detexit. In edito studio ipius graeco frustra quaeres, quae in aliis crassitatem augent libri & multitudinem terminorum, sed & impedimentorum & terriculamentorum numerum. Non ibi incidet in regularum inutilem scyllam, nec definitionum obscuratum & terminorum barbarorum charybdim. Paradigmatum naturalis adparebit ordo, & formatio, repudiata illa artificiosa & scrupulosa quorumdam.

### §. XXX.

Et quid dicam nunc de nimio studio quo Graecarum litterarum Studiosis verbis in  $\mu$  insumentum proponitur a Magistris, qui & ipsi saepius horum verborum naturam nesciunt. Nihil obstat, quo minus libere pronunciem, singularem numerum praesentis indicatiui tantum peculiare quid, nec in ceteris verbis obuium ostendere, & reliqua tempora omnia in activa, passiva & media voce ad normam verborum circumflexorum esse reuocanda. Et tandem vix sufficere putant tyrones nimium, quod collocare etiam cum verbibus a Praeceptoribus coguntur studium in addiscendis & memoria tenendis verbis, quae Grammaticorum turba vocat anomala. Si dicas nulla dari anomala

D

mala

mala sed omnia secundum ordinariam viam esse deducenda, supponendo solum modo radices, que in desuetudinem abiabant, egregie putes te posse mereari de studiosa iuuentute. v.g. Si verbum ηεχθην omnium anomolorum difficultum occurrat, ostendas, septem fere radices esse attendendas φεω nimis, φεω, φεηι, φορεω, ειω, ενεγιω, ενεχω & hoc tempus via ordinaria ab ultimo esse derivandum. Si porro occurat δεησα, monstres esse aoristum primum infiniti & in toto verbo supponendas esse duas radices, δεω alteram, a quo omnia praesentia in omnibus modis & imperfectum ordinaria via descendere; aliam δεω, a quo omnia futura, omnia perfecta, omnesque aoristi primi in omnibus modis profluere, ita tamen ut semper tertiam personam cuiuscumque temporis & modi ordinarie eliciant, quia impersona ium natura id reg irat. Haec obseruaturus, omissa anomolorum odiosa idea, egregios in Graecis litteris profectus ab auditoribus suis ribil premitas. Et sic uix haec methodus in lingua Graeca optime procedit; ita in reliquis idem procedere nec dubites, nec a me exigas, ut nunc quidem pro instituti nostri ratione pluribus demonstrem.

S. XXXI.

Sed haec leuioris videri poterant argumenti vestigia, nimii in Graecis studii. Quapropter maiora iam & apertiora succendent. Nihil difficilius studiosis huius linguae se se offert, & quod maiorem omnibus creare posset auctorisationem, quam duae illae, de accentibus, & de variis Graecorum dialectis, doctrinae. Haec quidem ita comparata est, ut carere ea non possimus, salua auctorum probatissimorum lectione: Quamuis fateri cogar concisam magis & percipiendam facilius reddi omnino eam posse. Ilia autem, nullius a viris gruissimis dadum iudicata momenti, nec digna est, ut mutatos & infinitos quibus implicat sui studiorum labores ad eam pernoscendim subeamus. Inter difficiles merito erit ponenda nugas. Primo ea difficilima est, quae non nisi taedium Graecis litteris incumbenti creare potest, dum singit sibi dictiones encliticas, oxytona, paroxytona, preparoxytona &c. tot format regulas, quibus sedes enumerantur accentuum tot exceptiones, quae poma quasi sunt aurea, quibus nimium studium linguae discendi cupidum a scopo detinere & impedire fatagit. Ut Hippomenes aureis usus pomis Athalantam vicit & de libertate

eius triumphauit. Deinde etiam, qui nugas has omnibus in triuīs recitatō  
valeat quam optime, nullum inde in lectione auctorum reportabit commūdum,  
praeceipue poetarū, nisi quod discet, corrumpere vocales & diphthongos longas,  
nec non positiones, producere autem breues, versuum perdere scansionem  
& amoenitatem, immo rem tenebit purae Graeciae antiquae & incognitam,  
& indignam. Quae a defensoribus & patronis vero huius de accentibus  
doctrinae, de eius antiquitate & utilitate poterunt in medium proferri, ex plosa  
sunt ab Henrico Christiano Hennlinio, Ioh. Dan. Maiore in peculiaribus differ-  
tationibus & Benjamin Hederich in opere Philologico. Cui ergo scopum  
addiscendae linguae Graecae verum obseruare animus est, reiicit hanc &  
maiori adplicatione rebus maioris momenti tempus impendet.

### §. XXXII.

Lectio auctorum vii summam rei in addiscenda Graeca lingua concernit, ita  
non vulgari erit instituenda industria. Non tamen in vno haerendum est  
auctore, sed quo plures euoluuntur eo feliores faciet in his progressus lin-  
guæ studiosus. Quibusdam solus placet Homerus, aliis Hesiodus, aliis  
alius. Ridiculum & commiseratione insimul dignum est Belürgerii Galli  
cuiusdam, insigniter alias in Graecis litteris versati, exemplum, quod Mor-  
hoffius refert. Qui tam insano in Homerum ferebatur amore, ut secum in  
templa sacrarum precum loco tulerit, immo iter suscepit ad perlustranda loca  
illa, quae ab Homero descripta & nominata legerat. Iter tamen in hunc  
finem ingressus e vita discessit. Alii in lectione auctorum scrupulosos  
omnium minutissimarum etiam rerum scrutatores se præbent. Hi resoluunt  
omnia sollicite & utilia & minus utilia, phrases excerptunt, & in qualibet voce  
emphasim quamdam latere sibi persuadent. Quo ipso dum nimio operantur  
in lingua studio, damna inde oriunda cuitare nequeunt. Ad minimum fru-  
staneum, etiam improbum, suum sentient aliquando laborem.

### §. XXXII.

Lingua Hebraea fontes sacres, fontes salutis aperiens, non omnium aequē  
manus & mentes in sui studium traxit, ac ceterae, de quibus iam differimus

linguae, quod an bene agatur, & quibus de causis, nostrum non est inquirere. Dicimus inde non tam frequentia in ea esse nimii linguarum studii vestigia, quam in ceteris maiori ardore cultis. Attamen hoc non obstante quaedam in ea licet non adeo multa monumenta inuenimus nimii in linguis studii. Monebimus ergo pauca circa illa quae ex re nostra esse iudicauimus, & in quibus aperta nimii studii adparebit facies. Buxtorffius ( $\Psi$ ) inquit: „Danda in primis opera, ut modus discendi magis magisque illustretur, „labor minuatur, industria augeatur & excitetur, tanto facilis autem lin- „gua addiscetur, quanto praecpta fuerint absolutiora. At ut in reliquis, quod supra indicauimus, obseruari potest regul'arum moles, tricarum grammaticalium numerus: Ita & in Hebraeorum lingua nimis seduli fuere huc usque nostri in conficiendis multis regulis & formandis formationibus. Crediderunt enim etiam minutissima esse sub regularum imperium revocanda, atque nihil docentium iudicio & dissentium industria quibus tamen collectis facilior est via, relinquendum. Effecerunt ergo, ut linguam discere solius memoriae fieret negotium, cum & iudicium & ingenium magnum in his partem sibi suoquodam iure vindicare possint. Inde orti tam vasti thesauri, ut vocantur, Grammatici & tam innumeræ regulæ, ut mirandum quomodo in tanto obscuritatis vortice ad aliquam in Hebraicis notitiam emergere potuerunt, sacrorum fontium studiosi. Sed merito & in hac re felicitatem, qua DEVS nostra præ veterum beavit tempora, praedicamus, dum via recta ad Mosen & Prophetas visitandos ducimur. Et hic iniustus essem, si admirandam & maximam sacrarum litterarum studiosis proficiam in hoc negotio industriam celeberrimi & in his versatissimi H. v. d. Hardt silentio inuoluerem. Ex cuius ore ipse quidquid in his litteris profeci, cum Helmstädtii degerem, hausi. Placuit eius methodus concisa, perspicua sufficiens tamen, aliis etiam in hoc studiorum genere excellentibus, ut vestigia eius legere sibi gloriae duxerint.

( $\Psi$ ) In praefat, ad Thes. grammaticum.

### §. XXXIII.

Peribit ergo cum multis formationibus & infinitis regulis, maxime, nimium

nimum in Hebraicis studiis. Restant tamen adhuc quaedam in extractione radicum, ut vocant, resoluenda. Duas se se nobis hic offerunt, circa extractionem radicum sudantes, hominum classes; prima eorum, qui vix primis ut aiunt labris Hebraeorum linguam degustauere, ad facilem & solidam tamen eius notitiam celeri pede progrederi amant. Altera autem eorum, qui iamdum linguam perspectam habent ad pleniorum tamen & interiorem eius cognitionem aspirant, & criticos se gerunt. Piores tyrones quidem extractione radicum onerare, labor est qui multum sane in lectione impedit, obruitur eorum memoria multis terminis & vocum cognitione superuacanea, quae ex lectione continuata clarius facilis & ordine meliori patescunt. Quantus quaequo & quam inutilis labor foret, si in explicatione auctorum latinorum extractionem radicum semper voci resoluendae adiungeremus. Mezito ergo, & seniori consilio his difficilioris indaginis tyronum animis parcimus, & profectioribus aetate quibusque iam dum principia & fundamenta linguae in paradigmatis patent relinquimus.

### §. XXXV.

Haec de extractione radicum quae a tyronibus instituitur. Nunc ad alteram classem erit progrediendum, eorum quidem, qui pleniorum imbibierunt linguae notitiam, & criticos se gerunt. In his quidem variis operatur modis nimum studium. Radices enim nominum in verbis quaerunt, ubi tamen saepissime prius sit nomen quam verbum, & nomen potius radix esse possit verbi, quam vice versa. Deinde credunt omnium vocum necessariam esse radicem, litteris radicalibus propriis constantem, cum multae sint voces quarum numquam existit radix. Inde autem in extremum currunt, nimio sane studio, aut radices fingunt, obsoletas quidem, aut in castra Arabica transiliunt, aut antiphrasim tamquam virgula Mercurii utuntur, quia eruere radicem tantopere absconditam & latenter aures inuenire possint. At, radices obsoletae & insitatae, non nisi terribili sunt obscuri & barbari quos ignorare melius est. Non autem ita saepius secute eos agere qui ex Arabica lingua radices depromere in deliciis habent, ex superioribus colligendum. Antiphrasis tandem, ex mero ingenii lusu proueniens, sae-

pissime auctorem huiusmodi deriuationis non quidem ingenio at iudicio interdum caruisse, monstrat, vt egregie sciuerit, tam aperte sibi opposita, ex uno eodemque fonte insulse deriuare & miscere. Praestat itaque eas radices, quae arctam cum re connexionem habent, ex quibus manifeste fluunt ceterae voces & quae in Hebraica lingua usitatae sunt eligere & retinere.

### §. XXXVI.

Sacrae litterae ut possint intelligi, & ex ipsis fontibus salus humana hauriri, scopus esse debet omnium, Hebraeae linguae studium tangentium. In illis enim purissimum os Hebraeorum reseruatur & ex inspiratione diuina Spiritus S. summi illius scientiarum & linguarum magistri voces selectissimas per instrumenta eius in hoc negotio, consignatas habemus. Improbans tamen est eorum & nimius labor qui vbicumque allegorias & in omnibus singularisque vocibus praeter intentionem Spiritus Sancti emphaticas quaerunt dictiones & sensum hac ratione non eruunt, sed inferunt, vt textus sacer vim inde patiatur. Sed quoniam de his yberime disseruit Glassius in Phiol. Sacra & Dannhauerus in Hermeneutica sacra actum ageremus, si & hic reteremus quae Viri isti πολυμαθεῖοι eruditissime proposuerunt, quare eō lectorēm deductūm volumus.

### §. XXXVII.

Haec, de nimio circa linguas studio dicta, sufficient. Noluimus plura addere, ne dissertationis iustas transeamus fines, nec alias adducere voluimus linguas, utpote quae ex notis quas supra dedimus §. I. II. &c. nimum sui studium prodent. Subiicemus coronidis loco damna & incommoda quaedam, quae ex isto in rem publicam eruditam profluere solent, alia iam dum occasione data inspersimus. Temporis iactura pretiosissimi, maximum sane ex eo scaturiens est damnum. Linguae sunt, vt supra monulmus, vehicula scientiarum & instrumenta quibus ad eruditionem penetramus.

Ergo

Ergo non plurimum studiorum nostrorum tempus, iis impendendum, sed scientias reseruandum. Alias tamquam canis ex Nilo bibens, magis virium scientiarum extrema tantum degustabit, eruditionis cupidus. Arcto huic malo iungitur nexus neglectus rerum. Laborant nimio studio linguis dediti in externis vocibus, terminis plerumque supervacaneis, quo ipso a seriis auocantur & utilioribus rerum studiis, & si quando ut eruditionem probent, coguntur, necessaria sibi deesse plorant, damnumque ex iis, quae superuacua esse tum demum cognoscunt, sentiunt. Via enim inde ad veram eruditionem praeccluditur, utpote quae in cognitione rerum, non vocum & terminorum consistit. Accedit etiam hoc quod iuuenes in scholis nimio linguarum studio misere vexati & academias tandem ingressi ex associatione idearum odio habeant Graecam aliasque linguas, quibus tamen non sufficienter, quod plerumque fieri, experientia testatur, imbutos, ad plenam eruditionem non posse eos peruenire ex prooemio liquet.

In foro disputationis quantas clades effecerit nimium in linguis studium, plurimae certe λαγωμαχιαι quae inde ortum traxere, testantur. Quantas controversias summa animorum contentione agitatas non elicuit, & quot libros disputationesque non expressit nimii in linguis studii noxia libido? Cartere poterat his omnibus orbis eruditus salua tamen eruditionis indole. E contrario autem scribendis libris qui utilitatem publicam melius promoueret, si remolum fuisset nimium hoc studium, tempus impendi poterat a viris eruditionis amantibus. Plurimae inter eruditos rebelliones non a nuditatis studiosis essent nisi nimium occasionem praebuisset linguarum studiorum. Hi enim exinde per turba uitiosos in scriptione, dubios reddiderunt in auctorum lectione, & non euia, haeretatione, ad solidam rerum cognitionem properantibus, injecere impedimenta.

Sed memores breuitatis, quam in prooemio promisimus, finem meditationibus imponimus quas de nimio in linguis studio habuimus & disputationum modestiae nunc subiicimus. Aliis, maiori librorum adparatu, mediisque huic negotio aptis, non ita satis tenuiter ac nos sumus instructis, vberiorum & doctiorem huius materie deductionem relinquimus. Interim Benevolum

uolum lectorum, ut si qua in re errauimus, veniam dare nosque a timore  
velit, humaniter rogamus. Deum autem pro summa in nos gratia, qua  
studiis nostris bene huc usque dicere voluit, deuotissime veneramur,  
& ut imposterum conatibus nostris adesse velit be-  
nignissime, precamur.

## COROLLARIA.

Lingua Graeca & Hebraea omnibus est utilis, plu-  
rimis necessaria.

Qui de modo quomodo spiritus loquantur disqui-  
runt in cassum agunt.

De lingua qua angeli huc usque sunt usi & nos in  
vita utem aeterna aliquid determinare ridiculum est.

Si in lectio S. Scripturae textum Graecum vel  
Hebraeum Latine reddimus, male agimus.

In tradendis iuuentuti disciplinis libri Germanica  
lingua scripti, Latinis preferendi.

Coll. diss. A. 99, med. 51